De Regno Christi in terris consummato
Libri III.

De Regno Christi in terris consummato (ipso favente) acturi, disputationem universam in libros tres dividimus. Primus aget de Regno ipso: Secundus de eius in terris consummatione: tertius de tempore, quo, et quando consummandum est, et quamdiu duraturum.

Liber Primus.

Caput I.

Regnum Christi, quod supponitur, unde, et qua ratione quibusmodis probetur?

Quamvis notissimum sit apud fideles omnes, Christum optimum Maximum Regem esse; et de Regno atque Imperio eius, quod aliquando consummandum astruimus, nemo Christianus dubitet: quoniam in caeteris orthodoxae fidei mysterijs non solum credere oportet, sed credendi quoque principia, rationesque agnoscere: ideo consentaneum ducimus in exordio totius disputationis de Christi Regno, Regni ipsius veritatem altius stabilire: ne molem tanti aedificij (cuius magnitudo postea celsitudoque apparebit) non iactis prius fundamentis velle erigere videamur. Sed in negotio à sensibus prorsus remoto, unde certum ac solidum fundamentum, nisi à verbo Dei? Selectis igitur divinarum Scripturarum illustrioribus testimonijs, ex concordi utriusque testamenti concentu atque consensu: ostendemus Regnum Christi ab initio mundi: primo in Patriarchis et Regibus praefiguratum: deinde decantatum in psalmis: postmodum in Prophetis praenuntiatum: demum in Evangelijs, novoque testamento expressum.

Regnum Christi in Patriarchis praefiguratum.

Veteris Testamenti figurae ad ornatum magis pertinent, quam ad efficacem probationem, nisi ab authore Canonico exponantur: tunc enim divinam sortiuntur authoritatem. Quapropter nullam nisi figuram adducemus, nisi sacro etiam interprete [illegible]m..

Gen. [illegible] .26. (ait Deus) Faciamus hominem [ad imaginem [illegible] similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestijs universae terrae. Praefecit itaque Deus Primum Hominem toti universo: et haec fuit prima mundi Monarchia, et prima figura Regni Christi: [illegible] D. Paulus 1. Cor. [illegible] s. vers. 26. et iterum cap. 2. ad Hebr.

† (ait Deus)

1018

vers. 8. Vbi de Regno et imperio X. intelligit verba psalm. 8.
vers. 7. Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum
super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus
eius, oves et boves vniuersas insuper et pecora campi. Quæ
quidem verba, vt nonnulli intellexerunt, de Adamo videntur
dicta; sed re vera de X. eiusque super omnes creaturas imperio
scripta sunt: de Adamo quidem, tanquam de typo; de Christo, tan-
quam de prototypo. Vere enim dixit Tertullianus lib. de
Resurrectione carnis cap. 5. Quodcumque limus exprimebat
Christus cogitabatur homo futurus. Sicut ergo in limo Adæ
Christi humanitas, in spiraculo diuinitas, in sopore mors,
in costa Vulnus lateris, in Eua Ecclesia; ita in principa-
tu et Monarchia Vniuersi, X. Regnum et imperium ad-
umbratum est. Et hanc esse mentem D. Pauli, imo Da-
uidis per Paulum explicati, docet S. Augustinus in Enar-
rat. eiusdem psalmi, Chrisostomus, Euthymius, Cassiodorus,
Remigius, Rupertus, Bernardus, et omnes fere tum psalmo-
rum et D. Pauli interpretes.

Minime tamen prætereunda est Augustini
acuta observatio super Verba illa: quid est homo, quod me-
mor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.
Nunc vero (inquit) inter [illegible] homo aut filius hominis ma-
nifesta insinuatur distantia. Hoc sane retinendum est,
quia omnis filius hominis homo, quamuis non omnis ho-
mo filius hominis possit intelligi. Adam quippe homo,
sed non filius hominis. Homo igitur hoc loco dictus est terre-
nus: filius autem hominis cælestis. Et ille longe remo-
tus a Deo, hic autem præsens Deo: et propterea illius
memor est tanquam à longinquo positi, hunc vero visitat
quem præsens illustrat vultu suo. Filius igitur hominis
primus visitatus est in ipso homine Dominico, nato ex
Maria Virgine. De quo propter ipsam infirmitatem car-
nis et passionis humilitatem recte dicitur: minuisti eum
paulo minus ab Angelis: Sed additur illa clarificatio,
qua resurgens asc[illegible]dit in cælos: gloria (inquit) et hono-
re coronasti eum, et constituisti eum super opera manu-
um tuarum Ita.

Secunda corona post Adamicam, quæ Reg-
nantem Christum præfigurauit, fuit Regnum Melchisedech
Regis Salem Gen. 24. id dicen[illegible] referente eodem Apostolo ad
Hebr. cap. 7. vers. 1. Hic enim (inquit) Rex Salem Sacerdos
Dei summi, qui obuiauit Abra[illegible] à cæde Regum,
et benedixit ei: cui et decimas om[illegible]ivit Abraham:
primum quidem qui interpretatur [illegible] iustitiæ: deinde au-
tem Rex Salem, quod est Rex pacis: sine patre, sine Ma-
tre, sine genealogia: neque initium dierum, neque finem habens,
assimilatus autem Filio Dei. Huius autem similitudi[illegible]
notas quatuor præcipuas assignat [illegible]hus. Primam in nom

et nominis etymo; uterque enim fuit Rex iustitiae. Secundam in officio et statu; uterque enim fuit Rex Salem, idest Pacis. Tertiam in generatione; uterque enim fuit sine patre et matre. Quartam in aetate, et duratione; uterque enim quasi aeternus inducitur. Haec Cornelius ibi, et Genes. 24.

Quod si addubites, quomodo Christus et Melchisedech dicantur ab Apostolo sine patre, et sine matre? de Christo facilis responsio est, quia nec in coelo matrem habet, nec patrem in terra. De Melchisedecho vero respondent communiter interpretes cum Chrysostomo, Nazianzeno, et Ambrosio ita dictum fuisse a Paulo, quia neque de patre, neque de matre Melchisedech ulla fit mentio in Scriptura. Sed huic responsioni, quae plane obscura est, atque difficilis, aliquid lucis ancora addendum exigitur, unde etiam innotescat, cur dictus sit Melchisedech neque initium, neque finem habens. Duo igitur totam rationem sumendam esse ab ipsa natura typi, seu figurae. Sicut enim Pictor, qui veram alicuius effigiem velit efformare, omnia, quae ille habet, debet exprimere, quae vero non habet, omittere: ita Moyses ab Spiritu Sancto edoctus imaginem Christi Dei et hominis in Melchisedecho effigiaturus, quia Christus neque patrem habebat ut homo, neque matrem, ut Deus consulto abstinuit a commemorando Patre et Matre Melchisedechi: Et iterum quia Deus neque habuit principium, neque habiturus est finem, abstinuit similiter a Melchisedechi nativitate, et morte scribenda, ut typus prototypo et figura exemplari in omnibus responderet. Itaque non quia Melchisedech patrem et matrem non haberent, fuit figura Christi sed quia erat figura Christi, eius pater et mater tacetur. Finge tibi eumdem artificem velle hominem manu et pede mutilum in imagine integri hominis repraesentare: seu (quod idem est) velle ex integro homine in tabula depicto imaginem concinnare alterius hominis manu et pede carentis; certe Pictor in isto euentu integri hominis manum ac pedem superinductis coloribus operiet, atque occultabit, ne a proposito exemplari imago dissideat: Ita prorsus fecit Moyses ut Melchisedechum figuraret in Christum:* Ut aeternum in mortali repraesentaret, tacuit nativitatem et mortem: ut carentem Patre ac matre in habente parentes effingeret, dissimulavit parentes. Et hoc est quod dicit Paulus: ut assimilaretur Filio Dei: Scripturae mysterium introspiciens, et Moysis mentem aperiens, qui ut figuram perficeret, historiam deseruit. Addidit praeterea Paulus ethimologiam nominis, et Regni: primum quidem qui interpretatus Rex iustitiae, deinde Rex Salem, quod est Rex pacis; ut in pacifico et iusto Rege Regnum Christi, et iustum, et pacificum praemonstraret.

Altera imago Regni Christi, eaque in primis celebris, fuit Regnum Davidicum: Huius vero Typi cum Antitypo, hoc est, Davidis

cum

019

cum Christo tanta intercessit in Regno similitudo, ut de Christo regnante
seu regnaturo loquentes Prophetae ipsum quasi nomine proprio
Davidem appellaverint†. Ita Osee cap. 3. et quaerent Dominum
Deum suum, et David Regem suum. Et Jeremias cap. 30. Servi-
ent Domino Deo suo, et David Regi suo. Et Ezechiel cap. 37.
Servus meus David Rex super eos. Enimvero sive Davidis ex
regia Tribu Juda natales, sive multiplicem unctionem et progres-
sionem ad Regnum, sive fortitudinem admirandam cum sum-
ma mansuetudine coniunctam, sive persecutiones, quas a Saule
primum, et postea ab alijs infensissimis hostibus domi, forisque pas-
sus est, sive divitiarum thesauros immensos, et divinitus ad domum
aedificandam coacervatos, sive victoriam de superbissimo Philisteo
non ferro, et militaribus armis, sed funda et baculo partam, sive
denique ipsius Regni possessionem nequaquam simul, sed per par-
tes acquisitam, et gradatim semper, atque ad summam amplitudi-
nem ascendentem, consideres: Ipsa rerum gestarum series mani-
feste ostendit, et Christum a Deo in Davide, et illius Regnum
in Davidico mirifice fuisse delineatum. Et haec sunt in com-
pendium collecta, quae Patres in utriusque Regni harmonia spar-
sim meditantur. Augustinus homil. 31. de Monomachia, Mono-
machia David cum Goliath. Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 35.
et in Psalm. 118. Chrysostomus homil. 46. in Genes. et homil.
de David et Saule. Eucherius, Bernardus, Basilius Seleuc.,
et minutissime omnium Rupertus.

Denique effigiatum habemus Regnum Christi in Regno
Salomonis, qui nomine, sapientia, potentia, amplitudine,
templi extructione, utroque atque Maiestate Regia adeo cla-
ra et illustris fuit Christi figura, ut nonnulli, contra quos scrip-
sit Justinus in dialogo adversus Triphonem, et Ambrosius
Apologia 1. de David, et Augustinus lib. 7. de Civitate cap. 8.
ad tantum splendorem caecutientes, Salomonem ipsum Chri-
stum† crediderint. Sed quae melior Apologia contra hos Salomo-
nis adoratores, quam Salomon ipse, qui tot flagitijs deturpatus, non solum nominis famam, maiestatemque obscura-
vit, sed conscientiam perdidit, naturam corrupit, ipsamque
imaginem hominis paene extinxit.

Advertendum tamen est, et maxime observandum
(ut hoc semel ad ulteriora praemoneam) non propterea putandum
esse desijsse Salomonem figuram esse Christi. Quinimo in eo e-
tiam quo plus recessit a prototypo, magis accessit ad typum:
nam ubi moralem similitudinem perdidit, typicam auxit. Ad-
amavit quidem Rex Salomon mulieres alienigenas multas
(inquit Sacer Textus 3. Reg. 11.) Sed in eo quod alienigenas
foeminas profusissime deperiuit, divini amoris excessum prae-
figuravit, quo inmensus Christus alienas a fide gentes fide
sibi et charitate ad immortales nuptias copulavit. Unde August.
lib. 22. contra Faustum: non mihi, inquit, prorsus occurrit
quid saltem in allegoria significet ista Salomonis flenda subversio,
nisi

† non infrequenter

† Messiam fuisse